



**S. Caecilii Cypriani Carthaginiensis Episcopi, Totivs
Africae Primatis Et Gloriosissimi Martyris Opera**

Cyprianus, Thascius Caecilius <Heiliger>

Coloniae Agrippinae, 1617

LIX. Ad Fidum de infantibus baptizandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80176](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80176)

ita notatu digna, ob illos qui calumniantur Canticum illud Ecclesie in laudem D. virgi. Salve Regina misericordia etc. Neque vero Marianam dicunt, sed & alios sanctos appellare solent veteres, modo advocatos (sic ut D. Maximus in Nazar. & Celsus) modo Patronos (ubi Amb. lib. 10. in Luc. cap. 11. D. Aug. de cura pro mort. c. 4. Prudentius hymn. 1. & 2. & rep. Pausanias Paneg. 3. in Felicem & epistola 13. ad Severum & Anton. Episcopus epistola ad Arcad. Imperat.) modo protectores (velut Chrys. hom. 66. ad pop. Antioch.) modo etiam mediatores, quemadmodum Cyrillus li. 12. Thesaur. c. 10. & Bernard. serm. 16. de Assumpt. D. Virg. Quae omnes appellationes, mire confirmant ritum invocationis, supradictum. Quin qui alius adhuc petendum censat, repetit hic verba apud D. Iacobum in sua Liturg. quam Syn. 6. pro tali agnoscit can. 32. Commemorationem agamus sanctissimae, immaculatae, gloriosissimae, benedictae dominae nostrae, matris Dei & semper virginis Mariae, ac omnium sanctorum & sanctorum, ut precibus atque intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur. Quid enim quod aliud est, Sanctorum commemorationem agere, ut eorum intercessionibus misericordiam consequamur; quam Sanctos invocare ut pro nobis intercedant ad misericordiam consequendam.

AD LVCIVM PAPAM ROMANUM REVERSUM AB EXILIO.

EPISTOLA LVIII.

ARG. Gratulatur Lucio Cyprianus cum collegis de reditu ab exilio, docens dilata martyria gloriam non minuire. Deinde iudicans divinitus contigisse Cornelij Martyrium & Lucij exilium, ad confundendos Novatianos, praedicat illi instans Martyrium, ita Deo ordinante, ut non foris, sed apud suos consummaretur eius Martyrium.

CYPRIANVS CVM COLLEGIS LVICIO FRATRI SALUTEM.

Lib. 3. p. 1.

Diss. 3.

Diss. 14.

ET nuper quidem tibi frater charissime, gratulati sumus, cum te honore geminato in Ecclesiae tuae administratione & confessorum pariter & sacerdotum constituit divina dignatio; sed & nunc non minus tibi & comitibus tuis atque universae fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria & laudibus vestris reduces vos denuo ad suos fecerit benigna Domini & larga protectio: ut pascendo gregi pastor, & gubernandae navis gubernator, & plebi regendae rector redderetur; & apparet relegationem vestram sic divinitus esse dispositam, non ut Episcopus relegatus & pulsus Ecclesiae desisset, sed ut Ecclesiam maior rediret. Neque enim in tribus pueris minor fuit martyrij dignitas, quia morte frustrata de camino ignis incolumes exierunt: aut non consummatus Daniel existit in suis laudibus, quia quileonibus missus fuerat ad praedam, protectus a Domino vixit ad gloriam. In Confessoribus Christi dilata martyria non mericum confessionis minuunt, sed magnalia divinae protectionis ostendunt. Repraesentatum videmus in vobis, quod apud Regem fortes atque illustres pueri praedicaerunt: Ipsos quidem paratos esse ardere flammis, ne dijs eius feriret aut imaginem quam fecerat adorarent; Deum tamen quem colebant, quemque & nos colimus, potentem esse ut eos de camino ignis eximeret, & de regis manibus ac de paenis praesentibus liberaret. Quod invenimus in confessionis vestrae fide, & in Domini circa vos protectione nunc gestum; ut cum vos parati fueritis & prompti omne subire supplicium, dominus tamen vos poene subtraheret & Ecclesiae referuaret. Regredientibus vobis breviata non est in episcopo confessionis suae dignitas, sed magis crevit sacerdotalis auctoritas; ut altari Dei assisteretis, qui ad confessionis arma sumenda & faciendam martyria, non verbis, plebe, sed factis cohortetur, & imminere antichristo parat ad praedium milites, non solum sermonis & vocis incitamento, sed fidei & virtutis exemplo. Intelligimus frater charissime, & tota cordis nostri luce perspicimus divinae maiestatis salutaria & sancta consilia; unde illic & repentina persecutio nuper exorta sit, unde contra Ecclesiam Christi & Episcopum Cornelium beatum martyrem, vosque omnes secularis potestas subito proruperit: ut & consueverat hereticos & retinendos ostenderet Dominus, quae esset Ecclesia, quis Episcopus eius vnus, divina ordinatione delectus; qui cum Episcopo presbyteri sacerdotali ho-

nore coniuncti; quis adunatus & verus Christi populus Dominici gregis charitate conexus: qui essent, quos inimicus laceraret; qui contra quibus diabolus ut suis parceret. Neque enim persequitur & impugnat Christi adversarius, nisi castra & milites Christi: hereticos prostratos semel & suos factos contemnit, & praeterit: eos quaerit deijcere, quos videt stare. Atque utinam nunc facultas daretur frater charissime, ut interres illic vobis regredientibus possemus, qui vos mutua charitate diligimus, ut aduentus vestri letissimum fructum praesentes cum ceteris ipsi quoque caperemus. Quae illic exultatio omnium fratrum? qui coeclus atque complexus occurrentium singulorum? Vix oculis adherentium potest satisfieri, vix vultus ipsi atque oculi plebis possunt videndo satiari. De aduentus vestri gaudio cognoscere illic fraternitas cepit; qualis & quanta sit securita Christo veniente laetitia: cuius quia cito appropinquabit aduentus, imago iam quaedam praecessit vobis, ut quo modo Ioannes praecursor eius & praevius veniens, praedicaui Christo venisse, sic nunc episcopo confessore Domini & sacerdote redeunte, appareat & dominum iam redire. Vicarias vero pro nobis ego & collega fraternitas omnis has ad vos litteras mittimus frater charissime, & representantes vobis per epistolam gaudium nostrum, & fida obsequia charitatis expromimus; hic quoque in sacrificijs atque in orationibus nostris non cessantes Deo patri, & Christo filio eius Domino nostro gratias agere; & orare pariter ac petere, ut qui perfectus est atque perficiens, custodiat & perficiat in vobis confessionis vestrae gloriosam coronam: qui & ad hoc vos fortasse reuocavit, ne gloria esset occulta, si foris essent confessionis vestrae colummata martyria. Nam victima fraternitati praebet exemplum virtutis & fidei, praesentibus debet fratribus immolari. Optamus te frater charissime semper bene valere.

ADNOTATIONES IN EPISTOLA LVIII.

1. Et nuper quidem &c. Epistola prior ad Lucium cuius meminit desideratur.
2. confessorum pariter & sacerdotum] Confirmat hoc Damasc. sententiam, qui dicit statim ab ordinatione missum Lucium papam in exilium.
3. In Confessoribus Christi dilata martyria] Similem locum habet supra epistola ix. & ad Tybaritanos. Confirmatur autem etiam hinc distinctio nostra, quam ibidem habes inter Martyres & Confessores.
4. repentina persecutio] Eo quod repentinam vocat persecutionem qua passus est Cornelius, confirmatur quod supra diximus, passum illum sub Gallo & Volusiano, ex parte quos consistet non toto anno imperium tenuisse, & quibus mortui persequutio cessavit ad aliquantum tempus. Rursus autem Episcopum unum papam Romanum nuncupat.
5. ad confundendos hereticos, Novatianos intelligit, epistola enim praeced. mentionem de illis iniiciens, isdem verbis utitur.
6. De aduentus vestri gaudio cognoscere illic] Hanc distinctionem habeo ex Ms. Assig. & Cambr. codicibus & veteri extus; Remboldi prava distinctio rectum plane obscuraverat.
7. fide obsequia charitatis expromimus] Sic Ms. & Manus & Morelius, pro eo quod erat: exprimus.
8. Nam victima quae fraternitati praebet exemplum] Quod hic laudat & suam praedicat, nempe, sacerdotem martyrium pati coram sua fraternitate usque adeo imitatus est Cypri. (ut patet in epist. ultima) ut delituerit ad tempus, ne apud Vticam, sed potius Carthaginem pareretur.

EPISTOLAE MISCELLANAE IN PACE ECCLESIAE VARIJS TEMPORIBUS CONSCRIPTAE.

AD FIDVM DE INFANTIBVS baptizandis

EPISTOLA LIX.

ARG. huius Epistolae praecipui paucis indicat D. Augustinus epistola xxviii ad Hieronymum: Beatus Cyprianus (inquit) non aliquid de creatum condens novum, sed Ecclesiae fidem firmam servans, ad corrigendos eos, qui putabant ante octavam diem nasci a-

is non esse parvulum baptizandum; mox natum rite baptizari posse, cum suis quibusdā coepiscopis, censuit. Obiter tamē sub principium pacem Victori cuidam, quamvis contra Decreta Synodorum de lapsis datam, non renovat, sed Therapio Episcopo, ne deinceps id faciat, interdicat. E quo loco satis constat scriptam hanc epistolam post utranque Synodū de lapsis (quarum supra mentio epistola liij) verum an paulo post, an longo post tempore, incertum est; in pace tamen scriptam contextus indicat.

CYPRIANVS ET CÆTERI COLLE-
gæ qui in concilio affuerant numero lxxvi.

¹ Fido fratri Salutem.

Lib. 3. ep. 8.

LEGIMVS litteras tuas, frater charissime, quibus significasti de Victore quodā presbytero quod ei, antequam penitentiam plenam egisset, & Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, temere Therapio collega noster immaturo tempore & præpropere festinatione pacem dederit. Quæ res nos satis movit, recessum esse à decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum, & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu & conscientia plebis, nulla infirmitate vrgente, ac necessitate cogente, pax ei concederetur: sed librato apud nos diu consilio, satis fuit obiurgare Therapium collegam nostrum, quod temere hoc fecerit, & instruxille, ne quid tale de cætero faciat. Pacem tamen quomodocunque à sacerdote Dei semel datam, non putauimus auferendam, ac per hoc Victori⁴ communicationem sibi concessam vsurpare permisimus. Quantum vero ad causam infantum pertinet, quos dixisti⁵ intra secundum vel tertium diem quo nati sunt constitutos, baptizari non oportere, & considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octauum diem eum qui natus est baptizandum & sacrificandum non putares; longe aliud in concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed vniversi potius indicauimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam. Nam cum Dominus in Evangelio suo dicat: *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare*; quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est. Quid enim ei deest qui semel in vtero, Dei manibus formatus est? Nobis enim atque oculis nostris secundum dierum sæcularium cursum, accipere, qui nati sunt, incrementum videntur: cæterum quæcunque à Deo fiunt, Dei factoris maiestate & opere perfecta sunt. Esse denique apud omnes, siue infantes, siue maiores natu, vnam diuinum muneris æqualitatem; declarat nobis diuinæ scripturæ fides, cum Helisæ super infantem⁷ suamitis viduæ filium, qui mortuus iacebat, ita se Deum deprecas superstravit, ut capiti caput, & faciei facies applicaretur, & superfusi Helisæ membra singulis paruuli membris, & pedes pedibus iungerentur. Quæ res si secundum naturam nostræ & corporis qualitatem cogitetur, adulto & prouecto infans non posset æuari, nec coherere & sufficere posset parua membra maioribus. Sed illic æqualitas diuina & spiritalis exprimitur, quod partes atque æquales sint omnes homines, quando à Deo semel facti sunt; & possit ætas nostra in incrementis corporum, secundum sæculum, non secundum Deum, habere discrimen: nisi si & gratia ipsa, quæ baptizatis datur, pro ætate accipientium vel minor vel maior tribuitur; cum Spiritus sanctus non de mensura, sed de pietate atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur. Nam Deus ut personam non accipit, sic nec ætatem, cum se omnibus ad cælestis gratiæ consecratione æqualitate librata⁹ præbeat patrem. Nam & quod vestigium infantis in primis partus sui diebus constituit, mundum non esse dixisti, quod vnusquisque nostrum adhuc horreat exosculari, nec hoc putamus¹⁰ ad cælestem gratiam dandam impedimento esse oportere, scriptum est enim: *Omnia munda sunt mundis*. Nec aliquid nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans à partu nouus est, non ita est tamen, ut quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat osculari, quando in osculo in-

Gen. 17.]

Luc. 9.

4. Reg. 4.

Gal. 2.

Titim. 1.

fantis vnusquisque nostrū pro sua religione ipsas adhuc recētes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato & recens nato quodam modo exosculamur, quando id, quod Deus fecit, amplectimur. Nam quod in Iudaica circumcisione carnali octauus dies obseruabatur, sacramentum est in vmbra atque in imagine ante præmissum, sed veniente Christo, veritate completum. Nam quia octauus dies, id est, post sabbatum primus dies, futurus erat, quo Dominus resurgeret, & nos viuificaret, & circumcisionem nobis spiritalem daret; hic dies octauus id est, post sabbatum primus & dominicus, præcessit in imagine: quæ imago cessauit, superueniente postmodum veritate, & data nobis spiritali circumcisione. Propter quod neminem putamus à gratia consequenda impediendum esse¹² ea lege, quæ iam statuta est, nec spiritalem circumcisiōnem impediti carnali circumcisiōne debere, sed omnem omnino hominem admittendum esse ad gratiam Christi; quando & Petrus¹³ in actibus Apostolorū loquitur & dicat: *Dominus mihi dixit neminem communem dicendū & immundum*. Cæterum si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos, & prouectos, & maiores natu posset impedire peccata grauiora. Porro autem si etiam¹⁴ grauissimis delictoribus & in Deum multum ante peccatis, cum postea crediderint remissa peccatorum datur, & à baptismo atque à gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi nō debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ primæ naturæ contraxit; quia remissa peccatorum accipiendā hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Et iccirco frater charissime, hæc fuit in concilio nostra sententia à baptismo atque à gratia Dei, qui omnibus misericors & benignus & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa vnuerfos obseruandum sit atque retinendum, tum magis circa infantes ipsos & recens natos obseruandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra, ac de diuina misericordia plus merentur, quod in primo statim natiuitatis suæ ortu plorantes acclentes, nihil aliud faciunt quam deprecantur. Optamus te frater charissime semper bene valere.

Ad. 10.

ADNOTATIONES IN EPI- STOLAM LIX.

¹ Fido fratri] Quo in loco fuerit Episcopus Fides, reperire non potui, verisimile tamen est fuisse vicinū Episcopatu Therapio, qui in Synodo cognominatur à Bulla, si exstaret littera Fidis, posset fortassis ex illis certius quid colligi. Porro lxxvi. episcopi duntaxat huic concilio interfuerunt, non lxxvij. (vbi habebat Manu] patet ex Aug. contra epist. Pelag. li. 4. c. 8.

² de Victore quodam presbytero] Quamquam cum Manu. & Morelio etiam Cambr. codex legat: quendam, placet tamen magis vulgata excus. & aliorum Ms. lectio prior, eo quod satis constat ex sequenti- bus adhuc vixisse Victorem presbyterum cum hæc scriberet.

³ à decreti nostri auctoritate] Alludit ad Decretum epistola liij. quo statutum erat, ut non nisi infirmitate vrgente, aut necessitate persequutionis cogente, pax lapsis daretur.

⁴ communicationem sibi concessam] Ita Ms. Afflig. Dim. Mar. Angl. Blandin. Cambr. & Cauchij. Manu. quoque & Morelius; ceteri excusi: traditam.

⁵ Quantum vero ad causam infantum pertinet] Locus insignis de baptismo paruulorum contra Anabaptistas, cuius meminit etiam To. 2. lib. de lapsis. Eundem agnoscunt D. Cyrillus Hierosolimitanus Catholici, missag. 1. Greg. Naz. Orat. 3. in sanctum Iuuenium. Chrysostomus ad Neophytos, hom. 9. in Gen. & in Pal. 14. ac Ambr. in Lucam. Eundem D. Aug. ab vniuersa ecclesia obseruatum fuisse testatur frequenter, præsertim autem epist. 28. iam dicta & lib. 3. de peccat. merit. & venis. c. 6. 7. 8. 9. ubi totam fere hanc citat epistolam, quomodo etiam lib. 4. contra duas epistolas Pelag. cap. 8. & lib. 2. contra Iulian. c. 3. Confirmat eundem Baptisum has sententia Cypriani & collegarum D. Hieronymi, sub finem libri 3. dialog. contra Pelagianos. Immo concil. Mileui. can. 2. anathemate eum damnat, qui negat baptizandos paruulos recentes ab utero matris. Ante vero D. Cyprianum eiusdem mentionem disertis verbis reperire est apud Originem in Leci. hom. 8. in Luc. & in epist. ad Roma. cap. 6. Tercullianum lib. de anima, Irenæum contra hæres. lib. 2. cap. 39. Infan- tum marty. quæ. 56. Clementem Romanum lib. 6. Constitut. Aposto. capite undecimo & Dionys. Areop. ultimo capite eccles. hierarchia. Qui Dion. ad traditionem Apostolorum eum refert, ad quam eundem etiam refert Orig. in epist. ad Roma. & D. Aug. li. 10. de Gen. ad li. ca. 23. & li. 4. de bapt. contra Donat. c. 24.

⁶ intra secundum vel tertium diem quo nati sunt] Etsi elegantior sit lectio Cambr. ac Angl. cod. & Manu. quæ nati sunt, quia

TAMEN

tamen priorem reperire est in alijs Ms. Excusis omnibus atque adeo a-
pod Aug. magis illa placet.

7 Sunamitis viduæ filium] *Ex Angl. cod. recens adiecimus: Sunamitis in ceteris desideratur.*

8. atas nostra in incrementis, &c. habere discrimen] Sic cod. Afflig. March., Dun. & Manusius. Cauchius vero Remboldus, Froben. & Col. excus. etatis nostræ haberi discrimen, vtrique non male; ceteri excuspi corrupte: etatis nostræ habere. Morelius vero, vetus excuspi & Camb. cod. primam habent, sed omittunt: in illud autem nisi hi, recte legitur, est enim Cypriano vstratiff. ut alicubi diximus.

9. praebeat patrem] *Est magis placeat lectio Costerij: patrem, quia tamen omnes Ms. & exc. legunt: patrem, nihil ausus sum immutare.*

10. ad coelestem gratiam] Sic Ms. omnes Manut. & Morelius; vul-
gati: gloriam, corrupte.

1. ii. id est, post Sabbatum primus] Ita Ms. vetus exco. Manusius quoque & Morelius: pro eo quod mendose habebat Semboldus: idem, quare recte ad marginem priorem, lectionem adnotavit Erasmus. Morel. vero: idem quod, legit cum Grævio, sed prior lectio germana est. Porro de die Dominico, quem post Sabbatum primum recte nuncupat, Euangelistas imitatus: vide supra epistolam xxxij.

12. ea lege que iam statuta est] Sic excusati omnes, Ms. vero cuncti: à lege, vox autem, hominem, omiſſa à Manutio reperitur in Ms. & excuſi, alijs omnibus excepto Cambronem. & Angl. quare eam iterum adieci-
mus.

13. in actibus Apostolorum] Hoc pacto Ms. & excusci omnes præter
solum Manutium, qui reposuit: Actis, verum priorem lectionem genui-
nam esse constat ex epistola ad Antonian. sub fine, ubi sic loquitur: de acti-
bus eius, loquens de Nonatiani adibi etiam frequenter actus sui mencio-
nem facit, quare retinenda obique prior lectio.

14. Cæterum si homines impedire aliquid ad] Hunc locum iam pridem sic castigaram ex D. Aug. & consentiunt Ms. omnes, cum veter. exc. Remboldi vero errore factum est, ut legeretur: aliud ad.

15. grauissimis delictoribus] *Delictor* pro peccator vox est Cypriano
peculiaris; qui etiam, non [ubi communiter] pro minori, sed potius pro
maiori peccato frequenter adhibetur vocē: delictum. Pro eo autem quod
Mc. *E* excusī omnes habent: multum ante, reperitur apud D. Hieron.
& Augusti. duobus in locis: multo ante; verum communem lectionem
reminimus, quod ita etiam legitur Aug. contra duas epistolas Pelag

16. remissa peccatorum] Etiam hæc Ms. & excus. cod. lectio tum hic tum paulo post magis placeat, quam quod legunt D. Hieron. & Aug. remissio, nam prior vox Cypria, magos familiaris est, ex Tertulliano mutata, li. i. contra Marcionem

17. tum magis] Particulam: tum, omisam à Mantuito, prout in locum suum restituimus, habent enim eam Ms. & excus. ceteri, & eleganti est phrasis: cum, tum, Solus verus excusus habet: tamen, sed minueret.

AD EPISCOPOS NUMIDAS DE
redemptione fratrum ex captiuitate
Barbarorum.

EPISTOLA LX.

ARG. Deplorata sub initium captiuitate fratrum Cyprianus
super episcopos Numidia nuntiata; mirere fere dicit fessitum
centum milia, adscriptis nominibus singulorum tum fratrum &
fororum, tum collegarum, qui aliquid contribuerant. Verisimile est
autem factam hanc captiuitatem ab illis Barbaris, contra quos De-
cius in bellum profectus interfectus est. Primi autem recens edide-
runt hanc epistolam Manutius & Morelius.

CYPRIANVS · IANVARIO, MAXIMO,
Proculo, Victori, Modiano, Nemesiano,
Nampulo, & Honorato fratri-
bus Salutem.

126. j. q. 3. **C**VM maximo animi nostri gemitu, & non sine lacrymis legimus litteras vestras, fratres charissimi, quas ad nos pro dilectionis vestrae sollicitudine, & fratrum nostrorum & sororum captiuitate fecistis. Quis enim non doleat in eiusmodi casibus? aut quis non dolore fractus sui suum proprium computet? cum loquatur Apostolus Paulus & dicat. Si patitur vnum membrum, captiuiuntur & cetera membra? si letatur membrum vnum, collaetantur & cetera membra. Et alio loco? Quis infirmatur, inquit, & non ego infirmor? Quare nunc & nobis captiuitas fratrum nostra captiuitas computanda est: & periculantium dolor pro nostro dolore numerandus est: cum sit felicitas aduocationis nostrae corpus vnum, & non tantum dilectio, sed & religio intigare non debeat, & confortare ad fratrum membra redimenda. Nam cum denno Apostolus Paulus dicat: *Nescitis quia tempus dei estis, & spiritus dei habitat in vobis?* etiam filii charitas non mi-

nus adigeret ad opem fratribus ferendam; considerandum tamen hoc in loco fuit, Dei templa esse, quæ capta sunt; nec patî nos longa cessatione, & neglecto dolore debere; vt diu Dei templa captiua sint, sed quibus possumus vinibus elaborare, & velociter gerere, vt Christus iudicem, & Dominum, & 2^o Deum nostrum promereamur obsequijs nostris. Nam cum dicat Paulus A. postolus: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis*; in captiuis fratribus nostris cõtemplandus est Christus; & redimendus de periculo captiuitatis, qui nos redemit de periculo mortis: vt qui nos de diaboli faucibus exiit, nunciple, qui manet & habitat in nobis, d barbarorum manibus exuatur; & redimatur nummari quantitate, qui nos cruce redemit, & sanguine: quicirco hac fieri interim patitur, vt fides nostra teneatur, an faciat vnusquisque pro altero, quod pro se fieri vellet, apud Barbaros teneatur ipse captiuus. Quis enim cum humanitatis memor, & mutæ dilectionis admonitus, si pater est, illic esse nunc filios suos computet? si maritus est, vxorem suam illic captiuam teneri cum dolore pariter ac pudore vinculi maritalis existimet: quantus vero communis omnibus nobis mœror est, & cruciatus de periculo virginum, quæ illic teneantur; pro quibus non tantum liberatis, sed pudoris iactura plangenda est; nectam vincula barbarorum, quam lenonum, & lupanarium stupra defendenda sunt; ne membra Christo dicata, & in æternum continentia: honore pudica virtute deuota, insultantium libidine, & contagione fedentur? Quæ omnia istic secundum litteras vestras fraternitas nostra cogitans, & dolenter examinans, prompte omnes & libenter ac largiter subsidia nummaria fratribus contulerunt; semper quidem secundum fidem suæ firmitatem ad opus Dei proueni, nunc tamen magis ad opera salutaria contemplatione tanti doloris accendi. Nam cum Dominus in Euangelio suo dicat: *Infirmis suis, & visitatis suis*: quando nunc quoque cum maiore operis nostri mercede didicimus est: *Captiuus sui, & redemistis me*? Et cum de nouo dicat: *In carcere sui, & venistis ad me*; quanto plus est cum cõperit dicere: *In carcere captiuitas fui, & clausus, & vinculis apud Barbaros iacui*; & de carcere illo feruissimis liberastis me, cum iudicii dies venerit pramium de Domino recepturi? Denique maximas vobis gratias agimus, quod nos vestra sollicitudinis, & tam bonæ ac necessariæ operationis participes esse voluistis; & vt offerretis nobis agros vbere, in quibus spei nostræ semina mitteremus, expectaturi messem de amplissimis fructibus, qui de hac celestis, & salutari operatione proneniunt. 5 Misimus autem festertia centum milia nummũ, quæ istic in Ecclesia, cui de Domini indulgentia præsumus, 6 Cleri & plebis apud nos consistentis collatione collectæ sunt: quæ vos illic pro vestra diligentia dispensabitis. Et optamus quidem nihil tale de cætero fieri & fratres nostros Domini maiestate protecos ab eiusmodi periculis incolumes referuari. si tamen ad exploranda nostri animi charitatem, & examinanda nostri pectoris fidem, tale aliquid acciderit, nolite cunctari nunciare hæc nobis litteris vestris; pro certo habentes, Ecclesiam nostrã & fraternitatem istic viuam, ne hæc vltra fiant precibus orare; si facta fuerint, libenter, & largiter subsidia prestare. Vt aures fratres nostros ac forores, qui ad hoc opus tam necessariam prompte ac libenter operati sunt vt semper operentur, in mentem habeatis in orationibus vestris, & eis vicem boni operis 7 in sacrificijs & precibus represententis subditi nomina singulorum sed & collegarum quoque & confacerdotum nostrorum, qui & ipsi cũ præsentem essent, & suo, & plebis vi nomine, quæ pro viribus contulerunt, nomina addidi; & preter quantitatẽ propriam nostram, eorum quoque summulas significauimus, & misimus quorum omnium secundum quod fides & charitas exigit, in orationibus & precibus vestris meminisse debetis. Oprimus vos fratres charissimi semper benevalere.

ADNO-